

ARTICULUS III

Refelluntur falsæ opiniones circa personam hominis et naturam unionis animæ cum corpore.**204. Assertio 1^a : Falsa est sententia Platonis.**

1^o *Adversatur naturæ corporis*, quod extrinsecè tantum ab animâ pendere fingit, uti mobile a motore; at corpus ab animâ pendet etiam intrinsecè, ab eâ scilicet suam habet speciem et humanum vocatur; unde tum initium vitæ accipit cum ei unitur, tum finem cum ab eâ separatur.

2^o *Adversatur naturæ animæ*; sive quòd asserit in eâ solâ consistere personam humanam, sive quòd vult eam per accidens tantum et criminis luendi causâ cum corpore conjungi; quæ omnia falsa esse jam ostendimus (n. 202).

205. Assertio 2^a : Falsa est sententia Cartesii.

1^o *Adversatur naturæ corporis*, quod supponit per se vitam cæterasque proprietates et actiones habere, proindeque propriâ subsistentiâ frui, nec tamen ad sensationes efficienter ac formaliter concurrere. Porrò hæc omnia jam improbata fuerunt.

2^o *Adversatur naturæ animæ*; tum quia illius essentiam reponit in cogitatione, tum quia vult eam esse per se completam, adæquatam hominis personam, et propterea non nisi per accidens corpori copulatam. Sed primum infrâ repudiabitur, secundum autem jam satis refutatum est.

206. Assertio 3^a : Falsa est sententia Kantii et Rosminii.

1^o Falsò Kantius reponit τὸ ego in solâ conscientiâ. Nam ea impar est quæ explicet non tantum omnia humanæ personæ phænomena, uti operationes vegetativas, sensitivas, motus locales, sed etiam nec omnia ipsius animæ phænomena, qualia sunt quæ ad volitiones pertinent.

2^o Rosminius confundit id quo constituitur τὸ ego humanum, cum eo vi cujus τὸ ego sui conscientiam acquirit. Et sanè τὸ ego tum propriè sui conscientiam acquirit, quum in suas operationes et seipsum reflectitur. Sed non eâ reflexâ

sui cognitione constituitur, imo verò cognitio ista præsupponit ipsum existere, cum prius sit existere, quam in seipsum reflecti.

3^o Opinio Kantii et Rosminii absurda trahit consecutaria; hac enim admissâ, puer non posset jure vocari persona, quippe quòd actuali ac reflexâ sui conscientiâ destituitur. — Item homines personalitatem suam toties amitterent, quoties a reflexione actuali super operationes suas cessarent.

CAPUT II

DE MODO QUO EXPLICARI POSSIT UNIO INTER ANIMAM ET CORPUS

1^o Referemus diversas opiniones excogitatas ad explicandum modum unionis animam inter et corpus; 2^o veram declarabimus; 3^o falsas confutabimus.

ARTICULUS I

Recensentur diversæ opiniones a philosophis excogitate ad explicandum modum unionis inter animam et corpus.

207. Præsentis quæstionis solutio a præcedentis solutione tota pendet; nam modus explicandi unionem animæ et corporis pendere debet a naturâ ejusdem unionis. Itaque systemata philosophorum circa modum explicandæ unionis inter animam et corpus, ad duplicem classem possunt revocari, prout accidentalem, vel substantialem eam esse præsupponunt.

I^{um} Genus systematum.

Systemata quæ non nisi accidentalem animæ et corporis

unionem inducunt, duplicis generis distinguuntur; alia enim unionem istam ex simplici *harmonia* inter actiones mentis et corporis repetunt, alia verò ex *influxu mutuo* animæ in corpus, et corporis in animam.

208. I. *Harmoniæ* systema propugnatur a Malebranchio et a Leibnitzio, sed diversâ ratione.

1° Juxta Malebranchium (1), res creatæ non agunt revera et sunt solùm causæ *occasionales* quibus Deus utitur ceu occasione certâ, liberè a se statutâ, ut producat quidquid ab ipsis produci *videtur*; quare anima non agit in corpus, nec corpus in animam, sed Deus occasione intellectionum ac volitionum animæ certos motus in corpore, et vicissim, occasione motuum corporis, certos motus vel sensationes in animâ excitat. Hoc systema vel *occasionalismi*, vel *assistentiæ* nomine venit; quia Deus rebus creatis quovis instanti assidet, ut earum actiones efficiat.

2° Leibnitzius docet etiam animam in corpus, et corpus in animam minimè agere, quia nulla res creata in aliam agere quit; at harmoniam in eo reponit, quòd *omnes* mentis et corporis actiones et affectiones sibi adamussim respondeant. In unaquâque animâ cogitationes et volitiones certâ lege sibi succedunt, ita inter se connexæ, ut posteriores ab iis *consequantur* quæ sibi immediatè præcedunt. — Item, unumquodque corpus determinatos motus in seipso producit, ita connexos ut posteriores a prioribus immediatè *defluant*, in quibus habent *rationem sui sufficientem*; hinc effatum: *Præsens gravidum est futuro*. — At verò, ex unâ parte, infinitæ numero animæ sunt possibles, infinitæ quoque numero possibles earum perceptiones ac volitiones; et, ex alterâ parte, infinita numero possible sunt corpora, et infiniti quoque possibles eorumdem motus. Ut ergo vigeat harmonia inter animam et corpus, illud cuique animæ corpus debuit Deus conjungere, cujus motus *singuli* cum *singulis* animæ perceptionibus et volitionibus adamussim responderent.

(1) *Entret. 6^e sur la Métaph., et Rech. de la vérité*, l. VI, 2^e part., ch. 3.

Ista sententia systema *harmonia præstabilite* nuncupata est, eò quòd harmoniam eam ab initio stabilierit Deus, quin deinde perennem assistentiam præstare debeat.

209. II. Duo systemata inventa sunt quæ animæ et corporis unionem ex *mutuo influxu* animæ in corpus, et corporis in animam desumunt; nempe systema *mediatoris plasticæ*, et systema *physici influxus*.

1° Hæc est summa prioris: Anima corpori unitur *mediatè* solùm, per mediam substantiam quamdam, neque corpoream, neque incorpoream tantùm, sed animæ et corporis simul participem. Hæc media substantia, quam etiam *plasticam* vocant, animæ *suggerit* quidquid fit in corpore, et in corpore *exequitur* quidquid mens jusserit, quin ipsa suisuarumve operationum sit conscia. Ita Leclère.

2° En summam posterioris opinionis: Anima et corpus *immediatè* uniuntur, quoniam anima in corpus immediatè influit ipsumque movet; et vicissim, impressiones in corpore nostro a cæteris corporibus excitatæ, nervorum ope ad cerebrum transmittuntur, sicque movetur anima ad percipiendum corporum existentiam et proprietates, ac proinde influxum corporis patitur; ita Lockius, Newton, Clarke, Macke et alii recentes; qui tamen tum animæ, tum corpori *propriam* substantiam et proprium operari tribuunt.

II^{um} Genus systematum, quæ nimirum animæ et corporis *substantialem* unionem vel omnino, vel ex parte supponunt.

210. 1° Cum Aristotele B. Albertus, S. Thomas, Suarezius et Scholastici pleriquè putant explicari non posse *substantialem* unionem inter animam et corpus, nisi anima sit *forma substantialis* corporis.

Generatim, in omni composito substantiali naturali duplex principium reperitur, aliud quidem passivum, quod *materia*, aliud verò activum, quod *forma* nuncupatur. Ex materiâ emanat *extensio* et *passivitas*; ex formâ autem emanat *esse* et *operari*; seu fusiùs forma est id ex quo compositum *suum esse, suam speciem, suam unitatem et operandi vim accipit* (1).

(1) « Ut aliquid sit forma substantialis alterius, duo requiruntur, quo-

His ad hominem accommodatis, corpus se habet ad animam ut materia se habet ad formam; sive ut S. Thomæ verba ipsa usurpemus, corpus et « est corpus, et animatum corpus, et humanum corpus per animam. »

Ex quo pronum est colligere unam esse in homine substantiam ac personam completam, ex animâ et corpore coalescentem, siquidem esse suum corpori ab animâ communicatur.

211. 2º At Henricus Gandavensis et Scotus D. Thomæ sententiam mitigare conati sunt. Admittunt quidem animam rationalem esse formam substantialem corporis et corpus esse *animatum corpus*, et *humanum corpus* per animam. At volunt corpus esse *corpus* per formam propriam, quam Scotus vocavit formam *corporeitatis*. Et ratio est quia post mortem, animâ separatâ, remanet corpus; unde sequitur corpus non esse corpus per animam, sed per aliam formam, scilicet *corporeitatis*.

Scoti sententiam, nonnihil immutatam et adhuc mitigatam, tenent recentes quidam philosophi; inter quos PP. Ramière, Palmieri et Bottalla.

ARTICULUS II

Declaratur vera sententia de modo explicandæ unionis inter animam et corpus.

Assertio: *Anima intellectiva corpori unitur ut substantialis ejus forma (1), et ideo ut forma unica.*

Probatur argumentis philosophicis ac theologicis confirmatur.

« rum unum est ut forma sit principium essendi substantialiter ei cujus « est forma; principium autem dico non *effectivum*, sed *formale* quo « aliquid est et denominatur ens. Unde sequitur aliud, scilicet quòd « forma et materia convenient in uno esse...; in quo subsistit substantia « composita..., ex materiâ et formâ constans. » (*Cont. Gent.*, l. II, c. 68).

(1) Cf. Zigliara, *De mente concilii Viennensis, in definiendo dogmate unionis animæ humanæ cum corpore*; Liberatore, *Le composé humain*, c. x; opus nostrum, *La Vie et l'Hérédité*, 2º part., c. 1, a. 1.

212. I. *Prob. argumentis philosophicis.*

1º *Ex unione substantiali.* — Ex probatis (n. 202) existit in homine *substantialis unio* inter animam et corpus, quia una est in homine natura, una persona, ex animâ et corpore constans. Porrò unio illa explicari minimè potest, nisi anima corporis forma *substantialis* dicatur et sit. Etenim si anima non est forma *substantialis* corporis, corpus a seipso habet *esse et operari proprium*. Ergo inducitur in hominem duplex natura, siquidem corpus, ut anima, propriam operationem habet; imò induci videtur duplex *suppositum*, siquidem per se agit et per se est corpus, velut et ipsa anima. — Quare ut adsit una natura et una persona in homine, ex animâ et corpore constans, oportet ut vel a corpore anima, vel ab animâ corpus suum esse et operari accipiat. Sed anima nec esse nec operari suum a corpore accipere potest; quippe habet esse spirituale et spirituales operationes, quas ei corpus præstare nequit, cum iis destituatur. Ergo necesse est corpus ab animâ recipiat principium sui *esse* suarumque proprietatum et operationum; unde ad animam se habeat uti materia ad formam *substantialem*.

2º *Ex notionem formæ substantialis.* — Forma *substantialis*, ut suprâ monuimus (n. 211), tria præstat materiæ quam informat: 1º rationem suæ speciei; 2º principium suarum operationum, et 3º suum esse *substantiale*. Sed hæc tria confert anima corpori.

Prob. 1º. — Enimvero corpus *in se* spectatum, abstrahendo ab animâ cui conjungi potest, indifferens est ad quamlibet speciem corporis recipiendam, quia materia ex se indifferens est ad quamlibet speciem. Ergo corpus ex eo habet cur sit humanum, non autem belluinum, plantave aut lapis, quòd animæ humanæ conjungitur. Quocirca, ut ait S. Thomas, « corpus non est idem præsentem animâ et ab « sente »; imò verò statim atque ab animâ separatur, suam rationem, suum ipsum nomen amittit et cadaver nuncupatur.

Prob. 2º. — Triplex operatio convenit humano corpori, nempe sensitiva, vegetativa, et simpliciter physica. Porrò

anima confert corpori principium triplicis hujus operationis. — Corpus ab animâ vitam et sensum habere infrâ datâ operâ evincetur. Restat ergo ut impræsentia ostendamus corpus ab animâ haurire principium virium suarum physicarum.

1° *Anima potest illud conferre corpori.* — Ut enim clarè argumentatur D. Thomas, « *perfectior forma facit per unum omnia quæ inferiores formæ faciunt per diversa, et adhuc amplius.* Puta, si forma corporis inanimati dat materiæ « esse, et esse corpus, et forma plantæ dabit et hoc, et in- « super vivere. Anima verò sensitiva et hoc, et insuper sen- « sibile esse. Anima verò rationalis et hoc, et insuper ratio- « nale esse. » (*Qq. dispp. de spiritualib. creatur., a. 3.*) — Et ratio est, quòd forma superior continet *eminenter* quiddid virtutis continent formæ inferiores.

2° *Revera corpori anima confert hocce principium.*

Id quippe exigitur ab *unitate* substantiali hominis. Si enim, ut vult Scotus, admittitur forma corporeitatis in homine, præter animam rationalem, erit in homine duplex substantialis forma. At, monente Angelico, « unius rei est unum « esse substantiale; sed forma substantialis dat esse substan- « tiale; ergo unius rei est una tantum forma substantialis. « Anima autem est forma substantialis hominis. Ergo impos- « sibile est quòd in homine sit alia forma substantialis quàm « anima intellectiva. » (1, q. 76, a. 4, *arg. Sed contrâ*).

Confirmatur, quia in vivente organico activitas physico-chemica est ipsa organica, sicut et vita vegetativa, et experièntiis scientificis constat operationes chemicas in viventibus et non viventibus specificè distingui.

Reponit Scotus corpus per formam corporeitatis nec substantiam effici, nec individuum, sed solùm in partiali actu constitui, quo idoneum fiat ad animam proximè recipiendam. (*In IV Sent. dist. 2, q. 3, schol. 54.*)

Hæc autem agrè concipiuntur, nec satis sibi cohærent. Nam quiddid habet proprium esse et proprium operari, substantia meritò nuncupatur ac debet in seipso subsistere. Pariter, quiddid in seipso subsistit, ab aliis distinguitur et individuum est. — Et sanè, nec existunt nec possunt exis-

tere individua *generica*, sed individuum quodque in propriâ specie determinetur oportet. Itaque forma corporeitatis merè *generica*, ad mentem Scoti, quæ nonnisi genericum esse corpori conferat sine esse specifico, nihil reale exhibet.

Scotistæ recentes id agnoverunt, ac Scoto relicto, dixerunt animam corporis formam substantialem jure vocari, propterea quia per eam corpus ad novam, humanam scilicet, naturam producitur, forma corporeitatis, ex se incompleta, exigit conjunctionem suam cum animâ rationali, et vires corporis animæ subjiciuntur.

Verùm istæ responsiones parùm habent ponderis. Nam 1° forma substantialis dat *primum esse*, seu *esse simpliciter*; quiddid autem *supervenit* alicui rei jam in suo esse constitutæ, non est nisi forma accidentalis. « Si igitur præter animam intellectivam, præexisteret *quæcumque* alia forma « substantialis in materiâ, per quam subjectum animæ esset « ens actu, sequeretur quòd anima non daret esse simplici- « ter, et per consequens quòd non esset forma substan- « tialis. » (1, q. 76, a. 4, c). — 2° Sine ratione sufficienti dicunt Scotistæ formam corporeitatis esse ex se incompletam; tum quia completa est in corporibus inanimis, tum quia ipsi asserunt eam completam esse in corpore per mortem ab animâ sejuncto. Quamobrem *exigentia* illa quam corpus ad animam habere dicitur non potest esse nisi *exigentia complementi accidentalis*, nisi cum Thomistis doceas corpus in suâ essentiâ specificâ corporis ita esse incompletum, ut in communionem esse animæ trahatur.

3° Ad unionem hominis substantialem non satis est corporis vires animæ subjici aut subordinari; exhinc enim non sequitur in homine nisi unitas *ordinis*, quæ merè accidentalis est, et scitè a D. Thomâ vocatur *minima unitatum*. (*Cont. Gent., l. 2, c. 58.*)

Quinimo, Scotistarum recentiorum theoria posset assumi ab iis qui plures *animas* in hominem inducunt; meritò enim sic arguere possent: equidem in homine animæ plures inveniuntur, sed tamen non deperit ejus unitas substantialis, quoniam anima vegetativa et anima sensitiva sunt formæ

incompletæ, quæ in homine exigunt ut animæ intellectivæ uniantur, eique subjectæ habentur et subordinatæ.

Prob. 3^{um}, scilicet corpus ab animâ recipere suum esse substantiale.

Ex probatis, anima est principium *primum* quo operatur corpus. Porrò idem est principium quo aliquid *est*, et quo *primum* operatur; siquidem operatio sequitur *esse* et naturam entis; unde *quo* aliquid est actu, *eo* agit. » (1^a, q. 76, a. 1, c).

Confirmatur quia, in homine, idem est *realiter* esse corpus, *animatum* corpus, *sensitivum* corpus et *humanum* corpus. Hi conceptus *formaliter* quidem distinguuntur, utpote præferunt rationes *formaliter* diversas, in mentis consideratione; sed non exhibent quatuor *entitates* distinctas in corpore humano. Si ergo anima rationalis dat corpori esse humanum, sensitivum et animatum, dat etiam esse corporeum.

At quanquam anima rationalis determinat corpus et complet in suo esse corporis, non tamen, ut nobis opponunt adversarii, dat ei realitatem suam materialem, quam logicè præsupponit, ut eam informare queat.

213. II. Eadem thesis confirmatur argumentis *theologicis*, scilicet ex conciliorum aut summorum Pontificum decretis.

1^o En verba concilii Viennensis sub Clemente V, quibus profligatur Petrus Oliva, qui dogmatibus Averrois adhærebat: « Doctrinam omnem seu propositionem temerè asserentem aut vertentem in dubium quòd substantia animæ rationalis seu intellectivæ verè ac per se humani corporis non sit forma, velut erroneam, ac veritati catholicæ inimicam fidei, prædicto sacro approbante concilio, reprobamus: *deficientes, ut cunctis nota sit Fidei sincera veritas ac præcludatur universis erroribus aditus, ne subintrent*, quòd quisquis deinceps asserere, defendere, seu tenere pertinaciter præsumperit quòd anima rationalis seu intellectiva non sit forma corporis humani *per se et essentialiter*, tanquam hæreticus sit censendus. » (*Clementinæ de SS. Trinit. fid. cath.*, tit. I).

2^o In concilio Lateranensi, Leo X definitionem illam am-

plexus est ad Pomponatium debellandum; et definiit quòd anima intellectiva « verè, per se et essentialiter humani corporis forma existat ». (Sess. 8, canon. *Apost. regim.*).

3^o Denique nostris diebus, Pius Papa IX damnavit Guntherum, qui duplicem in homine animam ponebat, alteram sensitivam, alteram autem intellectivam: « Noscimus iisdem (Guntheri) libris lædi catholicam sententiam ac doctrinam de homine, qui corpore et animâ ita absolvatur, ut anima, eaque rationalis, sit vera, per se atque *immediata* corporis forma. » (*Litt. apostol. ad cardin. Geissel, Archiep. Coloniens.*, 1857) (1).

Porrò ex laudatis decretis *sponte* fluit animam rationalem esse formam corporis, exclusâ in homine aliâ animâ aut sensitivâ, aut vegetativâ, seu animam rationalem corpori præstare vitam et sensum. Hac in re inter catholicos controversia esse nequit, post definitionem concilii Constantinopolitani IV: « Cùm vetus novaque lex Testamenti doceat unicam homini, eamque ratione et intelligentiâ pollentem esse animam; eamque sententiam omnium Patrum et Doctorum Ecclesiæ doctrina confirmet; sunt tamen qui duas homini esse animas asserant, et quibusdam vitiosis ratiocinatiunculis suam hæresim stabiliant; itaque sancta hæc et œcumenica synodus impietatis conditores cum totâ suâ sectâ magnâ voce anathematizat » (2).

Admitti etiam *debet* ex decretis laudatis, animam rationalem esse formam substantialem corporis, quatenus corpori suum *esse specificum* conferat. Etenim, cùm definitiones con-

(1) Ex 40 propositionibus ab operibus Rosminii excerptis et damnatis anno 1857, 14 decembr., vicesima 4^a hæc est: « Forma substantialis corporis est potius effectus animæ atque interior terminus operationis ipsius; propterea forma substantialis corporis non est ipsa anima. »

(2) Eodem sensu SS. Pius IX declaravit: « Hanc sententiam quæ unum in homine ponit vitæ principium, animam scilicet rationalem, a quâ corpus quoque et motum et vitam omnem et sensum accipiat, in Dei Ecclesiâ esse communissimam, atque a Doctoribus plerisque et probatissimis quidem maximè, cum Ecclesiæ dogmate ita videri conjunctam, ut hujus sit legitima solaque vera interpretatio, ac proinde *sine errore in fide negari non possit*. » (*In brev. ad Episcop. Wratislaviensem*, 30 april. 1860).

ciliorum sine ambagibus esse debeant et sint revera, is illis tribuendus est sensus quem præferunt tempore quo eduntur. Sed Viennensis concilii tempore, *unica* vigeat in scholis forma loquendi, eademque *scholastica*; et scholastici doctores, nullo excepto, nomine « *formæ veræ, per se, immediatæ et essentialis* » eam intelligebant ex quâ subjectum suum esse *specificum* et constitutivum habet. — *Confirmatur*, quia prædictam definitionem hoc sensu semper acceperunt doctores scholastici, ut ostendit P. Zigliara in præclaro opusculo: *De mente concilii Viennensis jam laudato*.

Probabilius quoque admitti debet, ex his decretis, animam rationalem formam esse corporis, exclusâ formâ *corporeitatis*, quâ corpus in suo esse corporis constituatur. Arguunt contra quidam recentes tum ex eo quòd concilium Viennense voluit solùm reprobare animarum multipliciter propugnata a Petro Oliva, tum ex eo quòd tunc temporis Scotistæ non admittebant animam rationalem esse formam corporis, quatenus est corpus, tametsi admitterent eam esse illius formam substantialem.

Sed 1^{um} documentis historicis repugnat, ut declarat P. Zigliara in opere laudato (pars 2^a, c. 3); siquidem Petrus Oliva non ponebat in homine plures animas, sed asserebat animam intellectualem non esse formam corporis immediatè ac per se, sed tantùm mediante sensitivâ potentiâ: et in hunc errorem animadvertit concilium Viennense. Quare mens concilii Viennensis fuit definire *naturam unionis* animæ cum corpore, non autem directè damnare dualismum animarum in homine; quem jam damnaverat concilium Constantinopolitanum IV.

Quod attinet ad 2^{um}, nempe ad opinionem Scoti, quam a Viennensi concilio non damnatam esse dicunt, etsi admitteret formam corporeitatis in homine, præter animam rationalem, jam ostendimus eam *philosophicè* certis vitiis urgeri; *theologicè* autem minùs probabilis nobis videtur quàm D. Thomæ sententia. Si enim, ex philosophicè probatis (n. 213), unius entis una est substantialis forma, eademque in homine est anima intellectualis, ut ex Viennensi concilio se-

quitur, difficile est admittere formam corporeitatis, quæ ut *accidentalis* forma haberi posse non videtur. — Difficile est etiam animam rationalem esse formam substantialem corporis, et ei immediatè conjungi, si ei superveniat in suo esse jam constituto, et ei uniatur, mediante formâ corporeitatis.

214. Obj. 1^o Si anima est forma corporis, quatenus est corpus, materialis dici debet. Falsum posterius; ergo et prius.

Resp. Neg. ant. Nam 1^o non magis repugnat corpus ab animâ constitui in esse suo corporis quàm in esse viventis vel sensibilis; siquidem operationes vegetativæ et sensitivæ sunt etiam organicæ. Atqui certo certius est corpus ab animâ in esse viventis et sensibilis constitui.

2^o In tantùm anima foret materialis, in quantum vel informaret corpus, quatenus est rationalis, vel non excederet capacitatem materiæ. Sed neutrum dici potest. Licet enim anima rationalis contactu suæ naturæ corpus informet, non tamen informat quatenus est rationalis, sed quatenus inferiorum formarum virtutem continet. Verùm, quatenus rationalis, materiam longè superat; habetque operationes proprias, immateriales. Ad rem Angelicus: « In quantum « supergreditur esse materiæ corporalis, potens per se subsistere et operari, anima humana est substantia spiritualis. In quantum verò attingitur a materiâ et esse suum communicat illi, est corporis forma. — Attingitur autem a materiâ corporali eâ ratione quòd semper *supremum infimi ordinis attingit infimum supremi*, ut patet per Dionysium, cap. 7 de *divinis nominibus*; et ideo anima humana, quæ est *infima in ordine substantiarum spiritualium*, esse suum communicare potest corpori humano, quod est *dignissimum*, ut fiat ex animâ et corpore unum, sicut ex formâ et materiâ. » (*Qq. dispp.*, q. de *spirit. creat.*, a. 11).

215. Obj. 2^o Animâ non manente, manet corpus; nam corpus mortuum, priusquam dissolvatur, est verè corpus. Ergo constituitur in esse suo corporis aliâ formâ atque animâ rationali, nempe formâ *corporeitatis*; ita Scotus.

R. Dist. ant. remanet idem corpus *specificè, neg.*, alterius speciei et conditionis, *conc.*

Etenim, morte prior dissolvitur substantia; ergo nova substantia generatur, ut fert axioma: « *Corruptio unius generatio alterius.* » — *Confirmatur*, quia corpus mortuum pristinas vires suas cum vitâ simul amittit, novasque acquirit, proindeque esse novum adquirat oportet. Porrò ubi enascuntur vires alterius ordinis novumque esse, nova etiam oritur forma, propterea quòd ex formâ *esse*, proprietates et vires promanant. — Et sanè, corpus recens mortuum specie differt tum a corpore vivo, tum a corpore naturâ suâ inanimato, v. g. a cinere. Ergo informari debet *mediâ* quâdam formâ, donec cadaver in alteram naturam immutetur, et merâ corporeitatis formâ queat informari. Meritò S. Thomas: « *Recedente animâ, succedit alia forma substantialis quæ dat aliud esse specificum, cum corruptio unius non sit sine generatione alterius.* » (In lib. II *De animâ*, lect. 1).

Nec mireris in corpore mortuo remanere structuram eandem similiaque accidentia; cum enim eadem remaneat materia, accidentia quæ ab ipsâ dimanant, possunt etiam simili modo remanere. — Cæterùm, illa structura non nisi brevi tempore remanet eadem, quamdiu nempe corpus servat impressionem prioris formæ quæ, quamquam ab eo recedens, sua tamen vestigiâ in ipso reliquit.

ARTICULUS III

Refelluntur falsæ sententiæ circa modum explicandæ unionis inter animam et corpus.

216. PROP. 1^a: *Falsum est systema harmoniæ, sive ad mentem Malebranchii, sive ad mentem Leibnitzii.*

1^o *Utrumque conscientiæ testimonio adversatur*; quippe quòd nobis conscientia vividè testatur sensationes non a Deo in nobis, sed a corporibus ipsis excitari, animam nostram a corpore cui jungitur verissimum pati influxum, ac vicissim corpus nostrum non a Deo quidem, sed ab ipsâ animâ, pro ipsius arbitrio moveri.

2^o *Utrumque solvit omnem cum substantialem, tum accidentalem animæ et corporis unionem.*

Etenim non existit unio substantialis inter duo entia completa quæ proprium esse et operari habent. Atqui hoc docent Malebranchius et Leibnitzius de animâ et corpore. — Nec existit unio accidentalis inter duo entia ita separata, ut in invicem minimè agant. Atqui omnem animæ in corpus, aut corporis in animam influxum negat harmoniæ systema. In eo igitur anima nostra Parisiis, corpus verò Lugduni vitam agere posset, firmâ tamen manente utriusque harmoniâ, quam facilè servaret Deus.

3^o *Malebranchius Deum ex machinâ inducit*; nam Deum ex machinâ inducit qui invocat causam primam ad producos effectus ad quos pares sunt res creatæ. Porrò sic facit Malebranchius, quia effectus quos Deo ceu causæ proximæ tribuit, res creatæ sponte producere queunt. Quippe omnes res ad agendum sunt pares, et anima et corpus in se invicem influere possunt et adamussim concordare.

4^o *Leibnitzius aufert libertatem hominis*; siquidem, juxta eum ex unâ parte, corpus proprias actiones in seipso *necessariâ* lege evolvit, absque ullo animæ concursu; et, ex alterâ parte, diversæ animæ perceptiones, affectiones ac volitiones ita se invicem consequuntur, ut posteriores in prioribus rationem sui sufficientem semper habeant, et ab iis pendeant omnino, ab iisque in hanc vel istam partem *determinentur*. Unde istud systema *determinismus* vocatum est.

Quocirca de utraque opinione non immeritò diceres, quod Leibnitzius de systemate *assistentiæ*: « *Miratus sum frequenter hominibus tam eruditis sententias tam parùm philosophicas, tamque primis rationis effatis contrarias probari potuisse.* » (*Theod.*, part. 3^a, n. 340).

217. PROP. 2^a: *Falsa est sententia mediatoris plastici.*

1^o *Fine vacat*; siquidem, ex probatis, anima et corpus non tantùm ab *immediatâ* conjunctione non abhorrent, sed eam contra appetunt, cum ad invicem naturâ ordinantur; et anima, utpote « *infima* in ordine substantiarum spiritualium, *attingitur* a materiâ corporali ».

2° *Solvit substantialem unionem animæ et corporis*; etenim supponit animam et corpus esse duo entia per se completa, quæ habent *esse et operari proprium*, et *mediatè* duntaxat copulantur.

3° *Contradictione laborat*, siquidem media substantia quæ animam et corpus conjungit fingitur materialis, et immaterialis naturæ simul particeps.

218. PROP. 3^a : *Falsa est sententia influxûs physici.*

1° *Solvit substantialem unionem animæ et corporis*. Etenim existere nequit unio substantialis inter duo entia per se completa, quibus *esse et operari proprium* attribuitur. Atqui systema physici influxus inducit corpus tanquam substantiam completam, per se viventem et agentem; inducit pariter animam tanquam substantiam completam, neque aliter copulatam corpori, nisi per quoddam commercium actionis et passionis. — Quocirca systema illud in Platonis opinionem quadrat, quo docente, anima corpori unitur ut sessor equo, et nauta navi. Nam sessor quidem equum moderatur, sed ab ipso quoque trahitur.

2° *Favet materialismo*; nam corpus, utpote extensum, non agere potest nisi per contactum physicum. Ergo vel nullo modo in animam agit, et anima homo sit oportet; vel materialis anima efficitur, propterea quòd immediatè excipit actionem rei materialis.

3° *Explicare nequit universalem, intimum et ingentem influxum* illum animæ in corpus, ac vicissim, quem testatur conscientia et de quo infrà dicemus; nam vigere debet potius harmonia quàm influxus mutuus inter duas substantias completas, per accidens copulatas; aut saltem si datur influxus, non erit nisi externus et accidentalis.

4° *Effectum sumit pro causâ*. Non enim uniuntur anima et corpus, quia in invicem agunt, sed in invicem agunt, quia uniuntur. Nulla igitur affertur explicatio mutui influxûs animæ et corporis.

5° Non satis consonat cum definitionibus concilii Viennensis ac Lateranensis, quibus declaratur animam esse *verè, per se, immediatè et essentialiter* formam corporis.

CAPUT III

DE CONSECTARIIS UNIONIS SUBSTANTIALIS INTER ANIMAM ET CORPUS

Ex unione substantiali inter animam et corpus duo non levis momenti sequuntur, nempe : 1° mutuus actionis et passionis influxus, et 2° sedes quam anima in corpore occupare debeat.

ARTICULUS I

De mutuo actionis et passionis influxu inter animam et corpus.

Dicendum est 1° de communi influxu inter animam et corpus; 2° de influxu animæ rationalis in vitam et sensum corporis; 3° de influxu corporis in ipsam vim intellectûs; 4° de specialibus quibusdam affectionibus hominis cum unione animæ et corporis arctè connexis.

§ I. De generali influxu inter animam et corpus (1).

219. I. Exponuntur facta. — Sic præclarè præcipua facta describit Angelicus Doctor : « Secundum naturæ ordinem, « propter colligationem virium animæ in unâ essentiâ, et « animæ et corporis in uno *esse* compositi, vires superiores « et inferiores et etiam corpus et anima invicem in se « effluunt, quod in aliquo eorum superabundat. Et inde est « quòd ex apprehensione animæ *transmutatur* corpus secundum « dum calorem et frigus, et quandoque usque ad sanitatem « et ægritudinem, et usque ad mortem; contingit enim

(1) Cf. *La Vie et l'Hérédité*, 2^e part., c. 4, a. 2.